Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 821

Quelle:
Copyright:

ſummo pontifice excuſſum exigente ottone auguſto tercio ottone. Tractatus hic Logicometaphyficus, quo acutus Autor *Ariſtotelem*, *Porphyrium* et *Boethium* ſequitur, editus eſt a *Bern. Pezio* e Codice *Tegernſeenſi* in *Theſ. Anecd.* T. I. P. 2. *col.* 149. Init: *Domno et Glorioſo Ottoni ceſari — Cum in germania feruentioris anni tempore* &c. Neſcio, an is annus 995. an 997. Ait enim mox *Gerbertus: inter bellorum diſcrimina, quæ contra Sarmatas* (Slavos) *parabantur.* Atqui bella haec pluries inſtaurata ſunt, ut videre eſt apud Chronographos. Noſter pro *Sarmatas* legit prave *armatos*, ſed paullo ante ἄλογον illud Editionis: *neſcio quid arcana divina menſuram ſecum tacite retractans*, praeclare ſic emendat: *neſcio quid arcani diuina mens ueſtra ſecum tacite retractans.* Locus edit. ille *col.* 151. aeque corruptus: *ut animal, quoniam majus eſt equo, et homo eſt, prædicatur, de quo et homo eſt*, non multo ſanior comparet in Codice; verum legendum eſſe: *ut animal, quoniam majus eſt equo et homine, praedicatur de equo et homine*, quivis, qui non de multum, ſed de rite edendo laboret, facile videt. Haec ſpeciminis ergo. Ceterum plura hujus Diſſertationis argumento ſunt, in *Ottonis* Aula literis et literatis ſuum honorem fuiſſe. De Autore mox, ſequitur enim:

X. *fol.* 73. *Oratio gerberti archiepiſcopi habita in concilio moſomenſi.* Haec Oratio, teſte *Pezio Diſſert. Iſag.* p. 69. etiam in Cod. *Tegernſ.* ſequebatur. Initium eſt: *Semper quidem reuerentiſſimi patres hanc diem pre oculis habui* &c. *Gerbertus Arvernas* e Monacho *Auriliacenſi*, et Abbate *Bobienſi* propter inſignem aevo ſuo ſcientiam et rerum uſum in locum *Arnulfi* depoſiti factus *Rhemenſis* Archiepiſcopus a. 995. agentibus *Arnulfi* fautoribus in Concilio ſupra nominato cauſſam dicere juſſus, et usque ad futuram Synodum *Rhemenſem* ſacro miniſterio interdicendus hanc ſibi apologiam texuit. Extat illa poſt plures Editiones T. XI. *Collect. Concill. Labb.* edit. *Venet. col.* 1005. quacum tota conferri mereretur; video enim mox in limine poſt verba: *pauca ſuper innocentiam meam referam*, omiſſum a Labbeo: *et quonam conſilio urbi remorum prelatus ſum ediſſeram.* Obtinuit ille deinceps *Ottonis* Imp. favore *Ravennatenſes* Infulas, quin et *Petri* ſedem ſub *Silveſtri* II. nomine, non minus tamen ob inſolitam in Philoſophicis, Mathematicisque peritiam ab aevi ſui ignorantia inter Magos, ut fit, relatus. De illo fuſe *Hiſt. lit. Franciae* T. VI. non uno loco. Ad calcem nobis adjectum eſt: *Explicit iſte Liber, iſte pertinet ad Sanctam Mariam Gotwich.*

XI. *fol.* 75. manu Sec. XIII. *Dialogus Auguſtini ad Oroſium.* Alias *Quaeſtiones* LXV. e variis *Auguſtini* Scriptis compilatae, certe non ab *Oroſio.* Repoſitae merito in *Append.* T. VI. a *Maurianis* leguntur *col.* 7. cum Monito praevio. Ineunt autem: *Licet multi do-*